


Notum sit omnibus sancte matris ecclesie filiis presentibus et futuris ita convenisse inter Abbatem et conventum de Dora ex una parte et Iohannem filium
Iohannis Pelle ex altera. quod idem Iohannes dedit concessit et confirmavit pro se et heredibus suis ut assignatis predictis Religiosis et successoribus suis
totam terram suam quam super Hedricus de domino trium castrorum tenuit et possedit in bosco et plano infra limites foreste de Meuceymp
que iacet in latitudine inter terram predictorum Religiosorum et terram Iorwan Coch. Et in longitudine a terra que fuit Cradoci ap Hangwern usque
ad rivulum qui dicitur Nantemaros. Et dicti Religiosi dederunt concesserunt et confirmaverunt predicto Iohanni et heredibus suis in escambio terre sue
certam terram per visum balliorum trium castrorum de terra sua in campo qui dicitur Trodiesfeld. que iacet in longitudine a foresta de Meuceymp
usque ad aquam de Trodi. et in latitudine a terra Wereyd Vachan et terra quam tenet idem Iohannes de dictis Monachis sicut divise dictas terras dividunt
habendam et tenendam eandem terram de domino trium castrorum solvendo eidem annuatim duos solidos et sex denarios ad duos terminos faciendo
predicto domino pro terra illa quecumque facere consuevit pro terra quam predictis Religiosis in escambium dedit. Ita quod dicti Religiosi terram prenominatam a prefato
Iohanne perpetuam adeo liberam et quietam ab omni exactione seculari et demanda tenebunt. sicut prius terram suam de Trodi ante escambium umquam
tenuerunt. Si autem dictus Iohannes et heredes sui prefatam terram dictis Religiosis ut dictum est warentizare non poterint. liceat eis sine aliqua
contradictione cavillacione seu impedimento sui heredum suorum aut aliquorum aliorum libere et integre terram suam intrare et eam quiete possidere. Ut igitur
hec conventio rata et stabilis permaneat in posterum. predictus Abbas pro se conventu suo ac successoribus eorum huic parti presentis scripti cirographati
sigillum suum apponi fecit. Et prefatus Iohannes pro se matre sua fratribus sororibus et heredibus suis ut assignatis quibuscumque parti alteri sigillum
suum apposuit. atque in plena curia de grosso monte que fuit anno regni regis Edwardi quarto die beatorum apostolorum Philippi et Iacobi tota
omnibus scilicet de prefata conventione bene pacatum se asseruit et ipsam fideliter tenere in perpetuum promisit. Hiis testibus. Duranto tunc bal-
livo de Monemuta. Henrico de albo castro. Ricardo le Venur de Skenefrech. Iohanne Coric de grosso monte constabulario. Philippo ap Ago-
nob. Howel ap Meyrou. Griffith Hen. Griffith ap Llewelin. Iohanne ap Meurik. Roberto ap Philippo. David ap Philippo. Ithel ap Iorwan
Et multis aliis. Datum Anno domini Mº. CCº. LXXº. quinto. die supradicto.